

# Groppers Verteidigungsschrift

20. August 2000

# 1 Groppers Verteidigungsschrift Anfang 1559

## 1.1 lateinischer Text

Non memini me unquam aliquem libellum conscripsisse vel edidisse sub nomine catechismi, ne vel solo titulo viderer Lutheranorum libellorum inscriptionem imitari. Scripsi anno 36 librum, cui feci „Enchiridion christianaे institutionis in concilio Coloniensi anno 1536 editum et publicatum“. Scripsi postea confutationem doctrinae Buceri in diocesi Coloniensi sparsae sub nomine „Antididagmatis „et cum Bucerus in suo maledico scripto me ut scholasticum sti. Gereonis neglecti hac in parte officii insimularet, scripsi libellum eumque perpusillum, cui titulum feci „Capita institutionis ad pietatem etc.“, cui adiunxi libellum piarum precum in usum pueritiae apud dictam ecclesiam sti. Gereonis. Succedente tempore ad instantem petitionem et in gratiam quondam bon. mem. Adolphi archiepiscopi scripsi in usum simpliciorum parochorum haud paulo ampliorem institutionem catholicam, cui titulum feci „Institutio catholica cum subiuncta isagoga“, qui liber editus est anno 1550, et posterno librum magnum de „sacramento altaris“.

Cum rego nudius tertius, qui fuit 11. decembbris, interrogarer, ediderimne praesenti anno catechismum, quem quidem se habere et legisse dicant, in quo Iacobum, Hierosolymorum episcopum, authoritate praesidentiae praetulerim sto. Petro, apostolorum principi, ad hanc interrogationem veluti mihi optime conscient, me praesenti anno nullum libellum, et praesertim, cui titulum catechismi fecerim, edidisse, respondi: talem libellum, si quis extaret, pseudepigraphum esse eundemque me pro meo non agnoscere. Postea vero diligenter mecum reputans, num in meis libellis, quos agnosco, quorum penultimus anno 50, ut supra commemoravi, editus est, aliquam sti. Iacobi apostoli mentionem fecisset, mox in mentem venit me in hoc libello, quem in epistola dedicatoria iudicio sanctae sedis apostolicae sicut omnia alia mea quam humillime submisi, meminisse synodi Hierosolymtanae, in qua stus. Iacobus sententiam super abolitione legalium pronuntiasset. Quam ob rem recurrens ad libellum statim deprehendi hunc locum sub dicto capite de syndis, qui incipit: „Dictis sententiis et tacente iam omni multitudine Iacobus uti Hierosolymorum episcopus ei synodo, quae prima generalium fuit, praesidens de re controversa censem, decernit et iudicat his nimirum verbis: *propter quod ego indico etc.* a meis aemulis tractum esse in calumnian, cum tamen nunquam in mentem meam venerit potuisse hunc locum, qui ad argumenta Lutheranorum primatum sanctae sedis apostolicae summo conatu impugnantium confutanda potissimum positus est, in diversam sententiam detorqueri, praesertim cum in eodem meo libello paulo superius, primatum Petri divini iuris esse, tum ex clarissimis scripturis divinis tum sanctorum patrum dictis astruxerim et postea in articulo de synodis proxime immo continenter et quasi in una eademque oratione sic scripserim: *dicuntur sententiae suam ex mox sequitur: dictis sententiis etc.*, deinde quod paulo post sub titulo *syn-*

*dorum variae species* aperte doceam, synodorum universalium indictionem ad solum summum pontificem pertinere.

Quae cum ita habeant, existimare minime potui ullum mortatalium tam impudentem fore, qui proxime praecedentibus et sequentibus, in quibus primatum summi pontificis de proposito assero atque astruo, dissimulatis unum aut alterum verbulum illis cohaerens atque adeo in eodem pene contextu positum invidiose sublegeret, quod contra meam perspicuam sententiam et mentem maligne depravaret oblitus eius Hilarii dicti, quod *intelligentia dictorum ex causis sit assumenda dicendi*, et quod ex antecedentibus et consequentibus scriptoris mens intelligenda sit, perindeque manifestum calumniatorem esse, qui detrahendi studio verba quaedam scriptoris sublegens ea contra eius mentem in alienem sententiam detorquet. Est vero memorata calumnia eo gravior, quod praedicta mea verba, quae propterea a me allata sunt, ut per ea Lutheranorum praecipuam cavillationem contra primatum summi pontificis vanissimam esse ostenderem, a criminatore meo in plane contrarium sensum quasi Lutheranice scripta detorquentur.

Lutherani inter omnia sua argumenta, quae primatui opponunt, hoc praecipuum habent, quod act. 15 scribitur, Iacobum, fratrem Domini, Hierosolitanum episcopum, concilio illo ut iudicem idque praesente Petro sententiam tulisse super legalibus. Quo et citant eiusdem apostoli Iacobi verba, quae habuit ad apostolum Paulum act. 21, quae sic habent: *De his autem, qui crediderunt ex gentibus, nos scripsimus iudicantes, ut abstineant se ab idolis, immolato etc.* Et quo magis eiusmodi verba contra primatum sanctae sedis apostolicae detorqueant, scriptis baeti Ioh. Chrysostomi in praedictum c. 15 foede abutuntur, quod videlicet is Iacobo perfectiorem concessionem attribuat quam Petro et Paulo, quod scilicet ille per sententiam verbis prophetarum confirmatam finem tum imposuerit operibus legalibus, quando hi uti non immoraturi Hierosolymis cum Iudeis tantum ea, quae Deus per eos in adducendis gentibus fecerit, commemorarint; deinde quod Chrysostomus in ea verba: *propter quod ego iudico etc.* Iacobum faciat imperantem et cum potestate censem et, postquam Petrus et Paulus locuti essent, sententiam ferentem et non resilientem, eo quod ei principatus esset concreditus Iohanne interim et aliis apostolis nihil loquentibus, sed silentibus et non indignantibus; quodque Petrus in initio locutui fuerit vehementius, Iacobus autem mitius, id quod faciunt hi, qui in magna potestate sunt, ut onerosa illa alias permittant, ipsi autem mansuetius agant etc.: e quibus Chrysostomi verbris praecipuum illud suum, si Diis placet, argumentum contra primatum apostolicae sedis Lutherani consuunt. Cui ego occurrere volens et docere neque sacram scripturam in duobus illis capitibus actorum neque Chrysostomi dicta ulla ratione detorqueri posse, ut quidquam derogare videantur primatui soli Petro ab ipso Christo decreto, antequam de synodis quidquam docerem, praemisi caput de primatu in haec verba: *primatus Petri divini iuris est*, quod deinde subiectis divinis scripturis et authoritatibus sanctorum patrum

validissime mea quidem sententia adstruxi et, ne Chrysostomi scripta in acta cuiquam imponerent, ad primam auctoritatem scripturae, nempe ad verba Domini: *pasce oves meas* citavi Chrysostomum in eundum locum, ubi manifestissime ait Christum ecclesiae principatum gubernationemque Petro per universum mundum tradidisse etc. Deinde post duo folia tractans de syndis, ut subindicarem Chrysostomi verba in cap. illud 15 sic intelligi debere, ut primatui divi Petri nihil omnio derogarent, sic scripsi: „Dicuntur sententiae ex scripturis Petro apostolorum principe primum omnium dicente suam; dictis sententiis et tacente etiam omni multitudine Iacobus uti Hierosolymorum episcopus ei synodo, quae prima generalium fuit, praesidens et de re controversa censem, decernit et iudicat his nimirum verbis: *propter quod ego iudico* etc.

Nam in hoc continuo verbotum contextu primum assero, Petrum apostolorum principem omnium primum suam dixisse sententiam. Deinde ne cui in mentem veniret, Iacobum ex eo sibi vindicasse primatum, quod ait: *propter quod ego iudico* etc., scribo: *Jacobum uti Hierosolymorum episcopum* (uiae determinatio diminuens est, adimens ei primatum, quem proxime antea tribui soli Petro), concilio praesedit et de re controversa censuisse, decrevisse et iudicasse, utens nimirum Chrysostomi verbis, ut ostenderem, ea quomodo intelligi deberent, nempe quae Chrysostomus Iacobo tribuit, ea non ei ut ecclesiae universalis primati, sed ut episcopo loci, in quo synodus agebatur, tribuisse. Et in hoc quoque tum potissimum secutus sum glossam ordinariam in cap. illud 15 act., ubi Lyranus in ea verba: *Respondit Iacobus* ita scribit Erat enim: episcopus Hierosolymitanus, et ideo, licet Petrus esset principalis inter apostolos, temen detulit ei in sua diocesi, ut determinacionem dubii proferret dicens: Viri fratres etc., ex quibus quidem glossae verbis manifeste consequitur, Iacobum ex delatione Petri illi synodo ut Hebraeorum episcopum ad ferendam sententiam super legalibus praesedit. Conveniebat enim, cum adversus Petrum simul et Paulum disceptarent Iudei nimirum causantes illum ad viros praeputium habentes introisse et manducasse cum illis, hunc vero *discessionem docere a Moyse eorum, qui per gentes sunt, Iudeorum etc.*, ut hanc disceptionem non Petrus aut Paulus, sed ipsorum episcopus Iacobus ambulans adhuc secundum leguem sua pronuntiatione dirimeret.

Iam hinc, quod Iacobus ex delatione Petri, principis apostolorum, synodo illi uti localis episcopus praesedit, adeo nihil primatui Petri praeiudicatum est, ut is eo facto multo magis confirmatus sit, maxime quod verbum praesidendi in syndis non arguat primatum, cum constet omnes episcopos, ut ecclesiis suis praesident, ita quoque in syndis omnes praesidere, sed omnibus praesidentibus summum pontificem praesidere, praesesse et praeeminere. Certe mei hac in parte reprehensori sua arrosoione satis testantur, se in libris conciliorum veterum numquam versatos fuisse, alioquin enim perpuduisse eos ex hoc unico verbulo: *praesidendi* mihi calumniam struere. Quoties enim in actionibus syndorum universalium, quibus vicarii apostolicae sedis in-

terfuerunt, legimus, patriarchas seu episcopos locorum synodis synodis? Ne longum faciam, unum aut alterum tantum locum citabo. In actione s. concilii Chalcedonensis recitatur actio 4. synodis Constantinopolitanae, quae sic incipit: *Et sequenti die tertia feria, quae est decima sexta mensis Novembris, praesidente Flaviano sanctissimo archiepiscopo sanctae synodo et disputante de divinis dogmatibus etc.* Et in synodo Nicaena 2. actione prima legitur Constantinopolitano episcopo delatum, ut velut praeses imperatricis urbis ad initium caouitum, quae deinceps tractabuntur, praetari et veluti ianuam aperire deberet et qua hoc loco deceant prius explicare. Et tale quid delatum magno Eustachio, Antiochenae ecclesiae praesuli, in primo Nicaeno concilio ex Sozomeno deprehenditur. Quid quod omnes actiones sextae generalis synodi Constantinopolitanae sic incipiunt: *präsidente piissimo et Deo dilecto magnoimperatore Constantino etc. simulque cum eo legatis sedis apostolicae et duobus patriarchis*, quibus verbis tamen nihil derogatum est primatni summi pontificis Romani? Quid multis, ubi de mente et sententia verborum, quibus usus sum, tam ex antecedentibus quam consequentibus manifeste constat, cum et paulo post expressis verbis doceam, universalium conciliorum inductionem ad solum summum pontificem spectare? Valeant aemuli mei, qui calumniando nihil aliud lucrantur, nisi quod suam ipsorum et inscitiam et malitiam produnt. -

Submonitus quoque sum, eos meam de iustificatione sententiam atro dente arrodere tum quod praeter inhaerentem iustitiam, quam contra Lutheranos tuear, iustitiam quoque imputativam ad iustificationem requiri doceam, tum quod videar in assertione certitudinis fidei seu gratiae Lutheranis quadamtenus accedere. Verum si *Enchiridion*, quod anno 36 edidi, si *Antididagma*, quod anno 43, ambo multo ante indictum concilium Tridentinum conscripsi, et *Institutio catholica*, quam anno 50 edidi, quae omnia iudicio sacrosanctae sedis apostolicae, ut prooemia testantur, submisi, in articulo de iustificatione a viris candidis aequis oculis legantur, nihil ambigo censuros eos, quaecunque hac de re scripsi, adeo non esse decretis in diu post subsecuta synodo dissentanea, ut sint consentaneae quam maxime et nihil continere, quod non propemodum ad verbum ex vetustissimis sanctissimisque patribus ab ecclesia catholica summa cum laude receptis excerptum sit. Tam semper fui curiosus, ut, quae scriberem, omnia potius verbis patrum quam meis offerrem.

Quod ad primum de coniunctione inhaerentis et imputative iustitiae, ut ea nobis per spiritum charitatis communicantur, attinet, nemo bonusaliter iudicare potest, quam quod nullo ariete fortius potuerim concutere atque adeo evertere illam adversariorum nostrorum vanissimam et falsissimam imputativam iustitiam, quam in eo solo consistere dicunt, ut sredamus nobis remittii peccata propter Christum nulla prorsus habita ratione iustitiae nobis communicatae et inhaerentis. Scio quorundam catholicorum scripta extare, in quibus hi desiderant, plane reiici hoc verbum „imputationis“ in re iustificationis quasi inauditum antiquis; sed quomodo, quaeso, in totum reiici potest hoc verbum, quo toties in re iustificationis utitur apostolus Paulus cap. 4 ad

Romanos? Quam ob rem non reiectio, sed recta verbi interpretatio quaerenda mihi videbatur, quam talis in libellis meis (ut existimo) reperitur, ut decreto Tridentino quam maxime consentanea sit. Nam in *Antididagmate* esti docendi causa scripserim, duas videri posse causas iustificationis formales, ut prima sit infinitum illud Christi meritum nobis comparatum in cruce, non quatenus extra nos in ipso solo est, ut fingunt Lutherani, sed quatenus nobis idem meritum per fidem ad iustitiam imputatur et communictur, cui nos principaliter inniti oporteat secundum illudnPaulinum (Rom. 4) de Abraham: „Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad iustitiam, sed et propter nos, quisbus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Chrsitum Dominum nostrum a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter iustificationem nostram.“ Altera iustitia nobis inhaerens, quae singulis per renovationem spiritus sancti et diffusionem charitatis in corda nostra secundum mensuram fidei uniuscuiusque infunditur et cuique fit propria secundum illud Rom. 5 „per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam“, „quia charitas Die diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum etc.“ Tamen hic est, quod a decreto concilii postea subsecuti saltem in in sententia quoivismodo dissentiat. Etsi enim decretum unicam formalem iustificationis nostrae statuat, nempe „iustitiam Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit“ diserte tamen addit, hanc iustitiam eam esse, qua non modo „reputamur sed vere iusti nominamur et summus“, non imputativam quidam iustitiam abolens, sed cum inhaerente coniungens; hoc enim sonant verba: „non modo reputamur sed et vere iusti nominamur et sumus.“ Et paulo ante pauloque post meritum Christi, quatenus nobis per fidem communicatur, quod ego praecipuum causam formalem iustificationis nominavi, concilium ipsum nominat causam meritoriam, cuius virtute gratia, qua iusti efficimur, nobis attribuitur; et in ipsa explicatione cuasa formalis inquit, „neminem posse esse iustum, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur, idque tum fieri, dum eodem merito passionis charitas Dei diffunditur in cordibus nostri etc.“ Quod quid est aliud, si non nudam verborum corticem, sed sententiam ipsam intueamur, quam quod ante concilium ipse dudum scripseram meam interim sententiam iudicio sarcosantae sedis apostolicae submittens? Certe meritum illud infinitum passionis Christi, de cuius plenitudine nos omnes singuli pro sua portione accipimus, et charitas, quae per idem meritum virtute spiritus sancti in cordibus nostris diffunditur, saltem ratione ut causa et effectus distinguuntur, ut omnino fateri necesse sit, propriam cuiusque inhaerentem iustitiam ab illo infinito Christi meriti, non quatenus in ipso solo est, sed quatenus nobis per fidem applicatur, ut ab unica causa sua dependere et proinde nos huic merito principaliter inniti opotere, id quod etiam pulcherrima antithesi concilium Tridentinum declarat. „Sicut, inquit, ex Adam nascendo non propria admissione sed tantum propagatione peccati originalis dum concipimur propriam iniustitiam contrahimus, ita in Christi merito renascentes non proprio sed Christi merit nobis per renascentiam in

baptismo applicato, cuius virtute inhaerentem illam iustitiam, quae spiritali communicatione singulis proria fit accipimus, iustificamur.“

De certitudine fidei seu gratiae, quod cavillantur mei aemuli, mera est calumnia. Non ego inanem illam haereticorum fidem, „qua se certitudine fidei, cui non posset subesse falsum“iustificatos esse iactant, nulla interim habita ratione iustitiae communicatae seu inhaerentis, defendendam sed modis omnibus in meis libellis oppugnandamsuscepi. Aio, nulli hominum nisi per revelationem certitudine fidei catholicae constare posse se iustificatum esse. Nec hoc, quod adversarii contendunt, apud Paulum *fidei* vocabulum, quando ait nos per *fidem* iustificari, significare, sed potius fiduciae et spei certitudinem, quam adulti recens baptizati aut contriti et confessi in confessione sacramentali ex absolutione concipere debent de Dei misericordia deque sacramentorum virtute et efficacia, de quibus dubitare non licet, etsi quisque de sua indispositione formidare et timere possit, quod sane istis ipsis verbis in conc. Tridentino declaratur. In ipso enim fides illa catholica, qua credimus vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt atque illud: „imprimis a Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quae est in Christo Jesu“diserte distinguitur a spe et fiducia speciali, qua quisque sibi confidit peccata remitti. An non expressis verbis ait: „ita demum disponit nos ad iustitiam, quum a divinae iustitiae timore convertendo nos ad considerandam Dei misericordiam in spem erigimus fidentes Deum nobis propter Christum propitium fore, de qua dispositione scriptum est: „confide fili, remittuntur tibi peccata tua“? Qua in re concilium beati Augustini et caeterorum sanctorum patrum sententiam haud dubie secutum est docentium, omnem spem et totius fiduciae certitudinem nobis esse debere in pretioso sanguine eius, qui effusus est propter nos, et Christum in hoc vase fiduciae suam misericordiam reponere et fidendum cuique ad Deum converso sibi ipsi quoque (ut Bernardus ait) remissa peccata accidente tamen interiori experimento spiritus sancti testimonium reddentis spiritui nostro, quod iam aliter effecti sumus, quam antea sub peccatis eramus.

Nihil habent Lutherani, quod apud suos tam invidiose obiiciant synodo Tridentinae, quam quod mendacissime deblaterant, manifestum esse, in ea synodo falsum et impium decretum factum esse, quod hoc debeat manere in dubitatione, an sit in gratia, cum synodus non hoc, sed ex diametro contrarium doceat, nempe neminem pium de Dei misericordia, de Christi merito deque sacramentorum virtute et efficacia dubitare debere, (qua est fides catholica illa generalis, cui falsum subesse non potest) sed magis quemque a divino timore in spem erectum fidere debere, Deum sibi propter Christum propitium fore iuxta illud: „confide fili, remittuntur tibi peccata tua, “quae est spes seu fiduciae specialis, qua quisque puis confidit, sibi remissa esse peccata, cui fiduciae zamen subesse potest falsum ob confidentis indispositionem. An sunt calumniatores mei tam imperiti rerum theologicarum, ut distinguere nesciant inter fidem catholicam, cui nullum potest subesse falsum, et fidem cum fiducia coniunctam, quae experimentis interioribus innititur, cui potest sub-

esse falsum? De qua tam mutla etiam scholastici doctores ad consolationem piorum olim scripserunt et nuperrime Lovanienses hanc differentiam diserte explicantes, scripsit dudum quondam bon, mem. episcopus Minoricensis Catharinus vir pius et doctus iustum librum „de certitudine ista experimentalis gratiae“ contra fr. Dominicum a Soto, antagonistam suum etsi ambo logomachiam magis quam veram pugnam exerceant. Nec eorum quisquam anthe hac eo nomine passus est calumniam, in quam ego nunc, qui ante concilium ex verbis patrum, quaecunque scripsi, sprripsi, immeritus vocor.

Quis nescit, si cuivis maledico haec licentia praebeatur, ut ipsi liceat aliorum pios labores sublectis et depravatis aliquot verbis arrodere, neminem scriptorem ab eiusmodi iniuria tutum esse posse? An non sanctus Petrus de ipso coapostolo suo Paulo scribit, eius epistolis quaedam inesse difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et caeteras scripturas ad suam ipsorum perditionem? Quid de ecclesiasticis scriptoribus tam vetustis quam recentioribus dicam, quorum nullus hactenus potuit a calumnia makignorum interpretum tuts esse, non Basilius, non Hieronymus, non Augustinus, non magnus Greogorius? Et quot naevos Parisienses theologi in suo magistro sententiarum et in ipso s. Thoma Aquinate ostentant, ut de Gratiano taceamus! Et tamen - sine ulla infamacione tantorum virorum - quam aequitatem in meis criminatoribus valde desidero, qui ea carpunt atque arrodunt, quae non post sed dudum ante Tridentini concilii inductionem de iustificatione scripsi cum submissione, qui eadem ratione longe duriores in beatum Cyprianum esse possent, nisi is divum Augustinum invictum defensorem haberet!

Certe ego ipse bona conscientia et omnium bonorum virorum testimonio, qui anteactam vitam, studia, actiones et zelum meum pro defensione fidei et religionis catholicae et sacrosanctae huius apostolicae sedis probe noverunt, fretus omnia mea iudicio sanctissimi domini nostri quam humillime submitto. Is ma vel errantem solo dicto corriget vel bene sentientem ab adversa laborante valetudine invidiosissime inurere annixi sunt, infamia liberabit.

## 1.2 Quellen

Florenz, Bibliot. naz. (Cod. Magliabecchianus) II II. 379 pag. 812-831 und Rom Nunt. di Germ. Vol. LXXXIV, 200-206.